



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Fabri erga Coloniam insigne studium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ræ erit dispersiones Israëlis congregare. In hoc ego
 gaudebo videre constantiam vestram, & gaude-
 bo videns, quod Magister Lambertus istinc nulla
 ratione potuerit auelli, sed sua morte retinuerit
 quotquot in vobis Colonie erant necessarij. Rectè
 enim tenetis mentem meam in eo esse, & fuisse, vt
 nullo modo relinquamus Coloniam, id quod
 optimè coniectârunt Decanus, & facultas Theo-
 logiæ, Magistrum Petrum in aliquot futuros an-
 nos retinendum curantes. Id autem faciunt, quia
 cernunt carneis oculis vtilitatem inde prouentu-
 ram. Vtinam, atque vtinam ipsi quoque cerne-
 rent mentalibus oculis longè magis necessarium,
 & magis vtile, quod plures eiusdem animi, & spi-
 ritus, cuius est Magister Petrus, istic concreverent,
 & in vnum corpus coalescerent. Ego iam pridem
 posthabui studia vestra vtilitati multarum ani-
 marum, sciens multò melius proficere posse in a-
 liis Vniuersitatibus, quam Colonie vnumquem-
 que vestrum. Sed illa fuit virtus nimij amoris mei
 erga Coloniam, vt vos periculis exponerem, &
 malletm istic vos indoctos, quam alibi doctissi-
 mos. Vtinam verò hic zelus meus sit secundum
 prudentiam illius, qui filium suum vnigenitum
 dedit

*Fabri erga
 Coloniam in-
 signe studi-
 um.*

dedit in manus peccatorum. Dominus Alvarus nouit hunc nimis fortem amorem meum, idq; ut ipse aliquando putare videtur, suo magno incommodo. Sed ut iam dixi sic stat sententia animi mei, quod libentius sum auditurus vnumquemq; vestrum, loquor maximè de Magistro Petro, & de Domino Alvaro, mortuum esse, & cum Magistro Lamberto sepultum, quam alibi bene habere. Hactenus Faber.

Et sanè deterrima, si vnquam, Coloniae erant tempora, cum Antistes ipse Hermannus V Veda, qui clauum tenebat diuinarum humanarumque rerum, post longam fluctuationem, tandem errorum salo demersus, totam illam secum inclytam nauim in profundum raptatum ibat. Sed breui & fallacia patefacta aduersariorum, & illustrata sociorum virtute permitti sunt iterum eadem domo coniungi. Metuerant Academici, ne Patres Canisium auocarent, eoque ut Faber modò significabat, literis ad B. Ignatium, & ad P. Nicolaum Bobadillam, qui haud Colonia procul aberat, primo vere anni eius datis, institerant, ne per aliquot annos abduceretur. Sua interesse memorantes corpus Theologorum talibus exornare membris; proque experimento, quod suæ ille, & doctrinæ

*Academici
pro Canisio
retinendo
certant.*